

- 3. Quomodo Parochi hodie jus Baptizandi ab Episcopo accipiunt?
- 4. Parochi hodie sunt ordinarii ministri Baptismi.
- 5. Baptizare solemniter nemo potest sine consensu Parochi
- 6. Presbyteris & Diaconis administratio Baptismi delegari potest; non autem inferioribus.
- 7. In casu necessitatis etiam laici Baptizare possunt.
- 8. An laicus bigamus, aut qui Baptismum suum integrum non habet in necessitate Baptizare possit?
- 9. Mulier in necessitate potest Baptizare.
- 10. Heretici valido baptizant.
- 11. An Baptismus collatus à non Christiano seu non baptizato sit validus?
- 12. Quilibet homo in casu necessitatis potest baptizare; sed inter plures concurrentes ordo servandus.
- 13. Nemo se ipsum potest baptizare.
- 14. Olim fere in sola Ecclesia Cathedrali Baptismus solemniter dabatur.
- 15. Olim Ecclesia Baptismales distincta à Parochialibus.
- 16. Unde factum ut Parochiales facta sint pleraque Baptismales.
- 17. An in domibus privatis Baptismum administrare liceat.
- 18. Antiquius tempus Paschatis & Pentecostes administrando Baptismo praestitutum erat.
- 19. Consecratio extra illud tempus conferendi Baptismum aliquando improbat.
- 20. Quare illud tempus administrationi Baptismi sit conueniens.
- 21. Multis saeculis hac disciplina viguit; semper tamen exceptus fuit casus necessitatis.
- 22. Quomodo hac disciplina sensim abrogata fuerit?
- 23. Baptismus infantium nullo praetextu differendus.
- 24. Quid pro conservanda pristina disciplina decreverit S. Carolus?
- 25. Plura hodie adhuc supersunt veteres ritus vestigia.

I. Ordinarius Baptismi minister imprimis est Episcopus; tamquam populi sibi commissi primarius & ordinarius Pastor. Dandi (Baptismi) jus habet (ait Tertullianus lib. De Baptismo c. 16.) summus Sacerdos, qui est Episcopus, de hinc Presbyter & Diaconi, non tamen sine Episcopi autoritate.

Et S. Hieronymus contra Luciferianos: "Sine Christumate, & Episcopi jussione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habent baptizandi.

Quin & saeculo 8. Synodus Vernensis Can. 8. decrevit, "omnes Presbyteri, qui in Parochia sunt, sub potestate Episcopi esse debeant, & de eorum ordine nullus Presbyter praesumat in illa Parochia baptizare vel Missas celebrare sine jussione Episcopi.

Hinc evidens ex sententia Patrum, solis Episcopis jure proprio & ordinario competere collationem Baptismi.

II. Et quidem olim Episcopi per se Baptismum conferre solebant. De S. Ambrosio scribit in ejus vita S. Paulinus: "Erat etiam in rebus Divinis implendis fortissimus, in tantum, ut quod implere solitus erat circa baptizandos, quinque postea Episcopi à tempore quo decessit, vix impleverit.

Dixitque suo tempore S. Hieronymus de Episcopis generaliter: Dant Baptismum Catechumenas erudunt. In Cap. 3. Sophonia.

III. Sed nec hodie Baptismum solemniter & extra casum necessitatis conferre licite possunt Presbyteri, nisi potestate ab Episcopo accepta, & in ipsos ex plenitudine Sacerdotii Episcopalis derivata; hac tamen modernam inter & pristinam disciplinam intercedente differentia quod juxta modernam, Parochi accipiant quidem curam animarum ab Episcopo, & per eam jus administrandi Sacramenta; sed ea accepta, illa tunc independenter ab Episcopo, ac quasi jure proprio & ordinario, id est, jure sui officii & Beneficii Parochialis administrant: ubi e contra olim Presbyteri quantumvis curam animarum exercentes à jussione Episcopi in ipsa Sacramentorum administratione continuo dependerent.

IV. Quapropter hodie Parochi sive Presbyteri Parochiales sunt in suis respectivè Parochiis ordinarii Ministri Baptismatis; illudque jure proprio & ordinario ministrant. Unde ait Pontificale Romanum Pauli V. "Legitimus quidem Baptismi minister est Parochus, vel alius Sacerdos à Parochi vel Ordinario delegatus.

V. Et Pastorale Mechliniense: "Jure datum est Sacerdotibus baptizare, sed id in aliena Parochia, aut alienos Parochianos exequi non licet, nisi de Parochi, aut Ordinarii licentia.

Nulli ergo Presbytero, Diacono, aut Clerico sive seculari sive regulari licet baptizare cum consuetis ceremoniis & extra casum necessitatis in aliqua parochia sine licentia Parochi aut Episcopi; quam tamen licentiam Episcopus in praesudicium Parochi, nec dare solet, nec facile dare debet.

VI. Presbyteris & Diaconis officium baptizandi in ipsa Ordinatione assignatur, atque ad baptizandum quodammodo destinantur; Quandoquidem Episcopus ordinans ad Sacerdotem dicit: Sacerdotem oportet offerre benedictionem, praesere, praedicare, & BAPTIZARE. Et in diaconi Ordinatione: "Diaconum oportet ministrare ad altare, BAPTIZARE, & praedicare." Quare his Baptismi solemnibus administratio delegari potest; sed dicendum de inferioribus Clericis aut laicis.

Quin cap. 1. X. De Clerico non ordinato ministrante sub nomine Hormilae Papae refertur: "Si quis baptizaverit, aut aliquod Divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & numquam ordinetur.

VII. Sine ceremoniis & in casu necessitatis non tantum Presbyteris, Diaconis, & Clericis, sed & laicis jus est baptizandi; illudque jus eis aperte vindicat Tertullianus libro De Baptismo cap. 17. Alioquin etiam laicis jus est dandi Baptismi. Quod enim, ait, ex aquo accipitur, ex aquo dari potest. ... Proinde & Baptismus, aequè Dei census, ab omnibus exerceri potest.

Et Augustinus apud Gratianum Dist. 4. De Consecrat. Can. 21. In necessitate cum Episcopi, aut Presbyteri, aut quilibet ministrorum non inveniuntur, & arget periculum ejus qui petit, ne sine isto Sacramento hanc vitam finiat, etiam laicos solere dare Sacramentum, quod acceperunt, solemus audire.

VIII. Sed hæc non de omnibus laicis intelligi insinuare videtur vetus Canon. 38. Eliberitanus; qui à ministrando Baptismo, etiam in necessitate, arceri videtur laicum, qui suum Baptismum integrum non habet, aut Bigamus est. Verba Canonis sunt: "Peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse Fidelem, qui Lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum; ita ut si supervixerit, ad Episcopum enim perducatur, ut per manus impositionem proficere possit.

Ut hic Canon intelligatur, notandum cum Viro erudito Albaspinæ Episcopo Aurelianensis in notis ad hunc Canonem, per illa verba: Qui Lavacrum sacrum integrum habet id indicari, quod quis post Lavacrum non peccaverit, neque poenitentiam ullam subierit: quod peccato post Baptismum commisso, omnium, ut ita loquar, gratiarum ac beneficiorum quæ acceperat, jacturam facere: ideoque Baptismum ejus qui deliquisset, non integrum aut incorruptum videri amplius; quod ex illo Divinae gratiæ, qua instructus erat, quasi gradu excidisset.

Sicuti ergo juxta pristinam Patrum disciplinam nullus bigamus, aut poenitens, hoc est, qui enormi peccato Baptismum violasset, ad Sacerdotium promoveri poterat, aut Sacerdotale officium exercere; ita nec laicam bigamum aut poenitentiam ad hujus muneris Sacerdotalis exercitium admittendum censent Patres Eliberitani; uti observat Albaspinæus, & post illum Franciscus Le Roy Antecessor Andegavensis in suis Institutionibus Juris Canonici lib. 2. tit. 3. De Baptismo; una monentes, nec illud ita intelligendum, quasi ab eo laico Baptismus conferri non possit, qui solus etiam

etiam in necessitate occurrat bigamus & poenitens; sed ut, ex multis laicis ibi praesentibus, ille solus baptizare possit, qui adhuc integrum Lavacrum habet, & non sit bigamus. Hic obiter nota, quantum vitæ innocentiam Patres desideraverint etiam in laico, ut vel necessitate quodammodo cogente aliquod Sacerdotale munus obire possit!

IX. Mulieres à baptizando officio excludere videtur Canon. Concilii Carthaginensis IV. apud Gratianum dist. 4. De Consecrat. Can. 20. "Mulier quamvis docta, & sancta, viros in Conventu docere, vel aliquos baptizare non praesumat.

Verum ex ipso contextu satis intelligitur, quod sicuti ibidem agitur de publica instructione, ita quoque agatur de solemnibus & publica administratione Baptismi, idque extra casum necessitatis. Unde jam pridem ad citatum Canonem hanc clausulam adiecit Gratianus: Nisi necessitate cogente; remittens ulterius ad Can. SUPER QUIBUS caus. 30. q. 3. ubi refertur hoc sub nomine Urbani Vitali Presbyteri Brixienſi datum responsum: "Hoc videtur nobis ex sententia respondendum: ut & Baptismus sit, si instante necessitate, te femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit."

Hoc responsum post Eugenium IV. in Decreto pro Armenis amplectitur Ecclesia Catholica; censetque etiam mulierem validè baptizare posse.

X. Quoad Hæreticos an Baptismus ab iis in forma legitima & secundum intentionem Ecclesiæ collatus esset validus, tempore S. Cypriani magna fuisse motus difficultates notum est; nimirum Cypriano & Episcopis Africanis hujusmodi Baptismum invalidum sustinentibus, de quo est Can. 70. caus. 1. q. 1. apud Gratianum: Verum vicit sententia Stephani, Corneli Romanorum Pontificum aliorumque Baptismum validum esse allerentium; eamque tamquam indubitam suo tempore tradidit S. Augustinus. è cujus scriptis desumpti sunt Canones 28. 29. & 34. Dist. 4. De Consecrat.

XI. De infideli autem vel Judæo qui in Christum numquam credidit, qui nec Baptismum accepit, etiam ipse Augustinus dubius hæsit. "Et hæc quidem alia quaestio est [ait libro 2. contra epist. Parmeniani cap. 13.] utrum & ab iis, qui nunquam fuerunt Christiani, possit Baptismus dari: nec aliquid temerè inde affirmandum est sine auctoritate Concilii quantum tante rei sufficit.

Quin & saeculo 9. Bulgaros de validitate Baptismi à Judæo vel Pagano collati dubitaliter ex epistola Nicolai Lad consultata Bulgarorum colligitur. In ea enim ait Pontifex: "A quodam Judæo, nescitis utrum Christiano, an Pagano, multos in Patria vestra baptizatos asseritis; & quid de illis agendum sit consultis." En hæsitatio Bulgarorum; cui respondet Pontifex: "Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in Christi nomine, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt [unum quippe idemque est, ut S. Ambrosius exponit] constat eos non esse rebaptizandos." Apud Gratianum Dist. 4. de Consecrat. Can. 24.

Post hoc Pontificis responsum ab omnibus creditum est, etiam infideles si de cætero essentialia Baptismi adhibeant, validè Baptismum conferre; illudque tamquam Ecclesiæ doctrinam in instructione pro Armenis expressit Eugenius IV. In casu necessitatis, inquit, etiam PAGANUS baptizare potest.

XII. Hinc omnia passim Ritualia & Pastoralia monent, Baptismi ministrum, quoties infans in vita periculo versatur, esse quemlibet hominem; quod si plures, qui baptizare possunt, adfuerint, ordinem inter illos servandum praescribit Rituale Romanum his verbis: "Si adfuit Sacerdos, Diacono praefertur, Diaconus Subdiacono, Clericis laico, & vir foemina; nisi, ait, pudoris gratia deceat foemina potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius foemina sciret formam, & modum baptizandi." Quod ultimum non raro contingit in concursu alicujus vulgaris laici cum obstetricæ; quæ solet & debet esse magis de forma baptizandi instructa; ut infra dicemus.

Van Espen Jus Eccles. P. II.

Ordinem in Rituali Romano praescriptum iisdem plane verbis exhibet quoque Pastorale Mechliniense.

XIII. Tametsi à ministrando Baptismo in casu necessitatis nemo repellatur, nequaquam tamen quemquam posse seipsum baptizare respondit Innocentius III. in Cap. 4. de Baptismo; resolvitque Judæum, qui in mortis articulo existens, nec alius adesset qui ipsum baptizaret, in aquam seipsum immerſit, dicendo: Ego ME baptizo in nomine Patris &c, denuò ab alio esse baptizandum; cum inter baptizantem & baptizatum debeat esse discretio.

XIV. Quemadmodum primis saeculis penè soli Episcopi Baptismum solemnem conferrebant, atque Baptismi soli ministri Ordinarii reputabantur, ita in soli Ecclesia Cathedrali seu Episcopali, vel certe Baptisterio illi Ecclesiæ juncto, Baptismus solemnibus administrabatur: notatque Christianus Lupus, quod olim sola principalis Ecclesia haberet Baptisterium. De Africana Ecclesia appellat. cap. 28.

Illius vestigium hodie videtur Florentiæ in Italia. In ea enim civitate [uti observat Du Cange in Glossario, Verbo: Baptisterium] de regione maximi templi Ecclesia est rotunda, da S. Joanni Baptista sacra: Hanc Baptisterium appellant, tota & hæc marmorea, habens januas, quas aeneæ viæ operis egregii occludunt. In medio illius Ecclesiæ baptisterium è marmore lucidissimo videtur, in quo Florentini omnes baptisimi lavacrum percipiunt, neque alibi quicquam, praeterquam in hoc Baptisterio aquis salutibus tingitur. Quæ quidem adnotare libuit, tamquam veteris moris institutum, cum olim in civitatibus, in Ecclesiis tantum Cathedralibus, aut iis adjunctis baptisteriis Baptismus conferretur, in quibus etiamnum supersunt ejusmodi baptisteria, tametsi nulli ferè usui.

XV. Multiplicato postmodum Fidelium numero, etiam in una eademque civitate plura Baptisteria constructi ceperunt; non tamen nisi in principalioribus Ecclesiis, aut prope eas, quas propterea Baptismales, dixerunt, Can. 54. & 55. caus. 16. q. 1. ad distinctionem earum Ecclesiarum etiam Parochialium, quæ Baptisterio carebant; quemadmodum etiamnum hodie in aliquibus civitatibus plures cernuntur Ecclesiæ Parochiales Baptisterio destituta.

Et quidem in civitate Leodiensi, licet sint triginta circiter Ecclesiæ Parochiales, tamen non nisi quinque sunt Baptismales; atque earum una quæ Cathedrali juncta est; quæ forsitan olim ipsius Ecclesiæ Cathedralis Baptisterium constituebat.

XVI. Dum sequentibus saeculis Parochi facti sunt ordinarii ministri Baptismi; illudque ministerium penè totum ad illos fuit devolutum, tunc quoque contigit, ut omnes passim erant Parochiales Ecclesiæ Baptisterium acceperint; in quo omnes Parochiæ incolæ solebant baptizantur, & spiritualiter renascerentur: atque hoc titulo Ecclesiam Parochialem tamquam matrem quæ in Christo ipsos genuit, recognoscerent & venerantur. Hæc omnia fufius exponit & probat Josephus Vicecomes in Observationibus Ecclesiasticis de antiquis Baptismi Ritibus lib. 1. c. 8. & 9.

Itaque Parochiani singuli in sua respectivè Ecclesia Parochiali [si Baptismalis fuerit] baptizandi sunt; neque magis fas est aliquem in aliena Parochia, quam ab alieno Parocho baptizari.

XVII. Prohibuit autem Concilium Viennense relatum in Clem. unica de Baptismo, "Ne quis de cætero in aulis vel Cameris, aut aliis privatis domibus; sed dumtaxat in Ecclesiis in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc casu deserti, liberi extiterint, aut talis necessitas emerſerit propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo, propter hoc accessus haberi) audeat baptizare. Qui autem secus praesumpserit, aut suam in hoc praesentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non praesumant."

Hanc Clementinam insequens Rituale Romanum addit, quod dum in Principum domibus Baptismus conferretur, id fiat in eorum Capellis, seu oratoriis, & in aqua Baptismali de more benedicta. Adjungitque Pastorale

Mechliniense: " Et præmissis exorcismi & catechismo a-
,, liffique adhibitis cæremoniis in Pastoralibus præscriptis. "

XVIII. Olim solemnibus Baptismo duo tempora scilicet
Paschatis & Pentecostes præscripta fuisse testis est Tertul-
lianus libro de Baptismo cap. 19. scribens: Diem Baptismo
solemnem PASCHA præstat. Et paulo post: Exinde Pen-
tecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est.

XIX. Cumque sæculo 4. apud quasdam Ecclesias inva-
luisset consuetudo baptizandi passim ac liberè in Natali-
tiis Christi seu apparitionis, nec non Apostolorum seu
Martyrum festivitibus, Siricius Papa scribens ad Hime-
rium Tarraconensem cap. 2. non dubitat dicere, quod hæc
consuetudo sit *improbabilis & emendanda confusio*, quæ,
,, ait, à nostris Consecratoribus (quod commoti dicimus)
,, non ratione auctoritatis, sed sola temeritate præsumi-
,, tur. . . . Cum hoc sibi privilegium & apud nos, & apud
,, omnes Ecclesias, Dominicum specialiter eam Pentecoste
,, sua Pascha defendat, quibus solis per annum diebus ad
,, fidem confluentibus generalia Baptismatis tradi conve-
,, nit Sacramenta. " Deinde concludens ait: " Hactenus
,, errat in hac parte sufficit: nunc, præfatam regulam
,, omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apostolica Pe-
,, træ, super quam Christus universalem construit Eccle-
,, siam, soliditate divelli. " Fragmentum hujus epistolæ ha-
,, betur dist. 4. de Consecrat. Can. 11.

Cumque rursus sæculo 5. nonnulli Episcopi per Sici-
liam constituti in vigilia & die Epiphaniæ Dominicæ Ba-
ptismum conferre præsumerent, S. Leo in epistola ad uni-
versos Episcopos per Siciliam constitutos, non dubitat
asserere, ipsos ab Apostolica institutionis consuetudine di-
scerpere; ac se mirari, ipsos ac prædecessores ipsorum
tam irrationabilem usurpare potuisse.

XX. Post hæc cap. 2. ostendit, servandam esse temporum
ac mysteriorum distinctionem. Deinde cap. 3. docet, diem
Resurrectionis Dominicæ sive Paschatis convenienter ba-
ptizandis fidelibus esse destinatum: Quia apparet regene-
randis filiis hominum Sin Dei filios adoptandis illum diem
esse & illud tempus electum, in quo per similitudinem for-
mamque mysterii, ea qua geruntur in membris, his qua in
ipso sunt capite gesta congruerent: " dum in Baptismatis
,, regula & mors intervenit interfectione peccati, & sepul-
,, turam triduanam imitatur trina demerfio, & ab aquis
,, elevatio, resurgenti in instar est de sepulchro. "

Paschati additur etiam Pentecostes, ait Leo, ex Ad-
ventu Spiritus sancti sacra solemnitas, quæ de Pascha-
lis festi pendet articulo. Et cum ad alios dies alia festa
pertineant, hæc semper ad eum diem, qui Resurrectio-
ne Domini est insignis, occurrit.

Tandem adductis nonnullis argumentis, quibus hanc
disciplinam probet, concludit: " His itaque fratres cha-
rissimi, tot ac tantis existentibus documentis, quibus om-
ni ambiguitate submota, evidentè agnoscitis, in ele-
ctis baptizandis. . . duo tantum tempora, id est, Pascha &
,, Pentecoste esse servanda, hoc vestra indicimus charitati,
,, ut ab Apostolicis institutis nullo ulterius recedatis excel-
,, su. Quia inultum post hæc esse non poterit, si quisquam
,, Apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas. "

Epistola Leonis in plures partes divisam referi Gratia-
nus citata dist. 4. Can. 12. 13. 14. ac deinde Can. 15. 17. &
18. referuntur Decreta Concilii Gerundensis & Gelasii
Papæ eandem disciplinam confirmantia.

XXI. His ad id potest Epistola 4. Gregorii II. qua osten-
ditur, disciplinam duabus summatat his Festivitibus
baptizandi adhuc sæculo 8. obtinuisse. Quin & seculo 11.
eandem disciplinam superstitem fuisse probat Concilium
Rothomagense anno 1072. Can. 24. decernens: " Item
,, juxta sanctorum Patrum Decreta, scilicet Innocentii
,, Papæ, & Leonis, statuimus, ne generale Baptisma nisi
,, Sabbato Pascha & Pentecoste fiat. Hoc quidem servato
,, quod parvulis, quocumque tempore, quocumque die
,, petierint, regenerationis lavacrum non negligetur. Vi-
,, gilia vel die Epiphaniæ ut nullus nisi infirmitatis neces-
,, sitate, baptizetur, omnino interdictionis. "

Potè quod excipitur casus necessitatis, ad jam pridem
in Decretis Siricii ac Leonis cautum fuit, nimirum: " Si
,, qui necessitate mortis, agritudinis, obsidionis, persecu-
,, tionis, & naufragii argenti, omni tempore debent ba-
,, ptizari: ut loquitur S. Leo in citata Epistola, & apud Gra-
,, tianum dicta dist. Can. 16.

Quia autem infantibus ordinatiè morale periculum
imminet, rectè hoc Concilium decernit, " ut parvulis
,, quocumque tempore, quocumque die petierint, rege-
,, nationis lavacrum non negetur.

XXII. Ulterius quia tandem invaluit ut vix alii quàm
infantes ad Baptismum veniant, hinc quoque factum est,
ut pristina disciplina totaliter penè abrogata, Baptismus
etiam solemnibus non tantum infantibus, sed etiam adultis
conferri quovis tempore cõperit. Dicit tamen Rituale
Romanum: " Antiquum ritum [scilicet solemnibus cæremo-
,, niis in Sabbato Sancto Paschæ, & Sabbato Pentecostes
,, baptizandi] quantum fieri commodè potest, in adultis
,, baptizandis, nisi vitæ periculum imminet, retineri de-
,, cet, aut certè non omnino prætermitti, præcipuè in Me-
,, tropolitani aut Cathedralibus Ecclesiis.

Hoc desiderio retinendi pristini ritus Patres Concilii
Redingensis in Anglia anno 1279. censuerunt, " declaran-
,, dum vel statuentium, ut pueri per octo dies ante Pascha, &
,, per dies totidem ante Pentecosten de matrum uteris nati,
,, si absque periculo reservari valeant, reserventur usque
,, illa tempora [Paschatis & Pentecostes] baptizandi.

XXIII. Verum cum in tam tenera ætate vix sine pericu-
lo aliquo infantes sine Baptismo per tot dies reservari pos-
sint, merito Synodi nostræ, nec non libri Rituales præscri-
bunt, ut infantes quamprimum baptizentur; atque sig-
nanter Pastoralis Mechliniense ait: " Hortetur Parochus
,, subditos suos, ut infantes non differant ad Baptismum
,, offerre, ut saltem intra triduum à partu baptizentur;
,, neque etiam ipsi puerulo Baptismum impendere disse-
,, rat, etiam si illegitimus sit, nec habeat fidei justorem pro
,, alienatione.

Synodus P. II. Cameracensis tit. 6. cap. 2. vult, ut " Pa-
,, rochi pro pueris baptizandis vocati, quanto breviorum
,, poterunt, præfigant horam qua puer ad Ecclesiam defe-
,, ratur, eaque ad Ecclesiam se conferant: quod si propter
,, ipsorum moram puer sine Baptismo moriatur, graviter
,, puniantur.

Et Synodus Diocæsana Cameracensis Anno 1567. tit. de
Baptismo cap. 1. injungit Pastoribus, " ut studiosè fideles
,, doceant, eisque nostra etiam, ait, auctoritate injungant,
,, ut quo citius & commodius possint, proles suas regene-
,, randas Ecclesiæ offerant. Nec susceptorum quorumvis
,, vel absentia vel mora, Baptismum sine licentia Parochi
,, differant diutius, quàm ad secundum diem à partu. Ne-
,, que hujus rei gratia infantes per laicos personas bap-
,, tizati procurent, nam illud maximo salutis periculo non
,, caret; istud verò extra necessitatem factum, ut Ecclesiæ
,, traditioni est contrarium, ita irregularitatis censura ca-
,, stigatur.

Eadem reliquæ Belgicæ Synodi passim inculcant; præ-
sertim, ne ob susceptorum absentiam aut moram Baptis-
mus differatur, aut per laicos personas conferatur.

XXIV. Sanctus Carolus veteris disciplinæ, nec non A-
postolici instituti tenacissimus, non ignorans vetus fuisse
ac religiosum institutum, Baptismum in festis Paschalibus
in Ecclesia Cathedrali solemniter conferre, ut hujus insti-
tuti memoria, quantum sine infantium periculo fieri pos-
set, conservaretur, in suo Concilio P. IV. parte 2. §. 2. sta-
tuit: " Si qui infantes intra alicujus urbanæ Parochialis
,, Ecclesiæ fines sabbato sancto, usque ad sabbatum in al-
,, bis, & à sabbato item vigiliæ Pentecostes, usque ad sab-
,, batum proximum nati, baptizandi sunt; ad Cathedralium
,, Ecclesiam cui pro observantiæ officio, quoque veteris
,, instituti usû, statis illis hebdomadis hoc tribui debet,
,, deferantur: si modo cuiquam ob mortis periculum, in
,, Parochiali Ecclesia, quæ propius abest, Baptismum sta-
,, tim administrate necesse non sit.

Hæc

Hæc Carolus, qui ibidem præscribit quod Fontis Ba-
ptismalis benedictio in vigilia Paschatis & Pentecostes
frequenti Sacerdotum & Clericorum Cathedralium
conventu & solemnè ritu sit peragenda.

XXV. Hæc fontis baptismalis illis diebus benedictio,
veteris moris conferendi his diebus baptismatis est vesti-
gium; ut & lectio Prophetiarum tunc fieri solita, indicans
catechismum Catechumenorum, qui imò ediè ante Ba-
ptismum prælectione Scripturarum instituebatur.

Similiter orationes quæ tempore Paschali pro Renatis
fonte baptismatis specialiter funduntur, ac signanter quod
per totam octavam Paschatis & Pentecostes in Cnone
Sacerdos orans dicat: Pro his quoque quos regenerare di-
gnatus es ex aqua & Spiritu sancto, manifesta sunt pristina
disciplinæ relicta vestigia.

CAPUT III.
De Ritibus Baptismi.

1. Pristina Ecclesiæ disciplina aperit hodiernorum rituum originem.
2. Plures olim fuere Catechumenorum ordines.
3. In primo ordine Catechumeni catechizabantur.
4. Sacra Scriptura ipsis compendiosè exponebatur.
5. Explorabatur quo motivo ad fidem Christianam accederent.
6. Aliter rudiores, aliter eruditiores instruebantur.
7. Describuntur secundus Catechumenorum ordo, qui Audientes dicebantur.
8. Tertius Catechumenorum ordo, qui Orantes vel Genusflectentes dicebantur.
9. In tertio ordine constituti & peccantes interdum ad secundum rursus revertebantur.
10. Catechumeni secundi ordinis exire debebant ex Ecclesia ante Catechumenos tertii ordinis.
11. Catechumeni suos habebant speciales Catechistas.
12. Origo hodierni Catechismi, & quæ ratione à pristino differat.
13. Catechumeni in tertio ordine exercitati per suos Catechistas baptizandi Episcopo offerebantur; & nomina eorum dabatur.
14. Quid hæc nomina datio?
15. Quartus ordo Catechumenorum, qui Competentes dicebantur.
16. Quo die nomina danda?
17. Catechumeni Competentes dicebantur Electi.
18. Per signum crucis & manus impositionem ad hunc ordinem admittentur.
19. Huius ritus etiam hodie super sunt vestigia.
20. Symbolum Fidei competentibus tradebatur, & exponebatur.
21. Etiam hodie hic ritus inter Cæremonias Baptismi superest.
22. Catechumeni ante Baptismum debebant reddere Symbolum; & quid hæc redditi Symboli?
23. Hæc redditi Symboli etiam inter Cæremonias Baptismi superest.
24. Non tantum circa fidem, sed vivendi præcepta Catechumeni instruebantur & examinabantur.
25. Illud examen potissimum instituebatur quando Catechumeni erant in quarto gradu.
26. Vita mutationem aque ac fidei professionem publicè Catechumeni profitebantur.
27. Hodie similis quoque sit professio.
28. Dies Baptismi annuè recolendus.
29. Catechumeni exorcismus crucis signationibus & orationibus exercebantur.
30. Exorcismus & exsufflationes super infantes dicuntur.
31. Manus impositio antiquissima.
32. Ritus illi adhuc in Ecclesia perseverant.
33. Catechumeni utebantur minutis Sacramentis & quædam.
34. Sacramentum Catechumenorum erat sal: Quid hodie huius ritui respondeat?
35. Catechumeni demum ad Baptismum admittentur, quando sufficienter erant probati.
37. Idem hodie in adultis observandum.

Van Espen Inus Eccles. P. II.

38. Recenter baptizati induebantur veste alba.
39. Vestis hac totum corpus tegebat.
40. Veste illa utebantur per septem dies Paschales.
41. Quid hodie de hoc ritu observetur? (cerei)
42. Neophytis sive recenter baptizatis dabantur arantes
43. Gestabant hos cereos per septem dies.
44. Hodie etiam datur candela accensa.
45. Olim Neophyti post susceptum Baptismum statim confirmabantur.
46. Hodie crismantur à Sacerdote in vertice.
47. Neophytis etiam antiquitus dabatur S. Eucharistia.
48. Dabatur quoque Neophytis lac & mel.
49. Etiam adultis illud dabatur.
50. Quid mysterii hæc mellis & lactis gustatio denotaret.
51. Propter recenter baptizatos voluit Ecclesia dies Paschales esse læticia.
52. Et etiam hodierna læticia signa tempore Paschali tenent.

PLeraque quæ hodie circa baptizandos, aut recenter
baptizatos ex præscripto Ecclesiæ peraguntur, facilius
percipientur, si attendamus disciplinam, quam olim in
Baptismo adultorum, extra casum necessitatis Ecclesia
observavit.

Hinc quippe facillè intelligemus, quid plerisque hodie
ritibus occasionem dederit, quæ circa illos sit ac fuerit
vera Ecclesiæ intentio; & quæ ratione etiam hodie pristina
Ecclesiæ disciplinam, si non secundum litteram, & ex-
tēriorem corticem, saltem juxta ejus spiritum ac interio-
rem quasi medullam, servare possimus.

II. Plures primitus fuere eorum qui ad Baptismum dis-
ponebantur classes sive ordines, in quibus sensim ad Chris-
tianismum & Baptismum disponebantur, & gradatim
quali ascendebant.

III. Dum enim homini pagano seu gentili desiderium
aliquod divinitus injiciebatur convertendi se ad Christia-
nismum, prius privatum in domo circa vanitatem &
superstitionem paganis, nec non ipsa prima Christiani-
sismi principia ac fundamenta instruebatur: illudque mu-
nus Diaconi alii inferiores Clerici obibant.

Hinc ille tractatus S. Augustini de catechizandis rudibus
scriptus ad postulationem cujusdam Diaconi Carthagi-
nensis hujusmodi instructionibus occupati; uti ex his Au-
gustini verbis intelligimus: " Petisti me, Frater Deo gra-
,, tias, ut aliquid ad te de catechizandis rudibus, quod ti-
,, bi usui esset, scriberem. Dixisti enim quod sæpè apud
,, Carthaginem, ubi Diaconus es, ad te adducuntur, qui
,, fide Christiana primitus inobuendi sunt.

IV. In hoc tractatu Augustinus modum admodum
concinnum & utilem instruendi sive catechizandi rudio-
res præscribit, atque imprimis vult, ut catechizando hi-
storia veteris Testamenti breviter exponatur; ut ex hæc
ipsa historia catechizandus ad Christum ejusque Eccle-
siam ducatur.

" Nequaquam tamen propterea integram sacram Scri-
pturam debemus memotiter reddere, vel nostris verbis,
,, ait, omnia quæ his continentur voluminibus (Sacra Scri-
,, pturæ) narrando evolvere & explicare; quod nec tempus
,, capit, nec necessitas postulat: sed cuncta summam ge-
,, neratimque complecti; ita ut eligantur quædam mirabi-
,, liora quæ suavius audiuntur.

Quare veteris Testamenti expositio convertendis ad
Christum & Ecclesiam conveniat, subjungit: " Neque enim
,, ob aliud ante adventum Domini scripta sunt omnia quæ
,, in sanctis Scripturis legimus, nisi ut illius commendare-
,, tur adventus, & futura præsignaretur Ecclesia, id est, po-
,, pulus Dei per omnes gentes, quod est corpus ejus; ad-
,, junctis atque adnumeratis omnibus Sanctis, qui etiam
,, ante adventum ejus in hoc sæculo vixerunt, ita creden-
,, tes eum venturum esse, sicut nos venisse.

V. Monet deinde cap. 5. à Catechista diligenter inquiren-
dum, quo motivo catechizandus moveatur ad fidem Chris-
tianam suscipiendam. " Si enim, ait, aliquod commodum

C c 2

,, devi.